

CAPITULUM 4
DE SIGNIFICATIONIBUS GENERIS

§1

Videtur autem neque genus... 1, 18-21 . Finito prologo Porphyrius exsequitur de intento determinaturus de quinque praedicabilibus. Dividitur autem liber iste in duos tractatus: in primo determinat de universalibus seu de praedicabilibus, quod idem est, definitive notificans divisim omnium definitiones, sicut promisit in prologo; in secundo tractatu determinat de ipsis descriptive, manifestans omnium communitates et passiones, convenientias et differentias, ibi: ¹ commune quidem est.

Primus tractatus divisione generali dividitur in duas partes principales, in quarum prima notificat praedicabilia quae praedicantur in quid, in cuius signum statim in principio simul accipit genus et speciem dicens: ² videtur autem neque genus neque species simpliciter dici; in secunda vero notificat praedicabilia quae praedicantur in quale, ibi: ³ differentia vero.

Sed divisione speciali dividitur in quinque capitula, iuxta numerum quique praedicabilium: secundum capitulum incipit ibi: ⁴ species autem dicitur; tertium capitulum incipit ibi: ⁵ differentia vero; quartum capitulum incipit ibi: ⁶ proprium vero; quintum vero incipit ibi: ⁷ accidens est.

Primum capitulum dividitur in duas partes, quarum prima est narrativa, distinguens significationes generis et concludens definitionem eiusdem secundum quod intendit logicus; secunda vero eiusdem definitionis est declarativa, ibi: ⁸ eorum enim quae praedicantur.

In prima ergo parte dicit Porphyrius quod neque genus neque species videtur dici tantum uno modo, sed multipliciter. **P**rimo quidem modo genus dicitur collectio aliquorum quodammodo se habentium per habitudinem denominationis ad aliquod unum et ad se invicem. verbi gratia,

collectio Romanorum per habitudinem ad Romulum dicitur genus, ita quod ad esse genus hoc modo non sufficit habitudo partium multitudinis collectae, sed ultra requiritur habitudo totius multitudinis ad aliquod unum a quo haec multitudo denominationem accepit. Habet ergo collectio Romanorum unam habitudinem ad Romulum a quo romanam seu romuleam accepit denominationem. Deinde habet aliam habitudinem hominum invicem, quoniam iam quilibet romanus non tantum sic denominatur propter Romulum a quo descendit, sed etiam propter patrem qui romanus fuit aut est. Si enim quaeritur propter quid talis est romanus, convenienter respondetur quia pater eius est aut fuit romanus. Habet ergo quilibet romanus hanc denominationem a duplici principio, scilicet propinquo et remoto: principium propinquum est pater, principium remotum est Romulus. Totam autem collectio Romanorum tantum unum principium habet, scilicet Romulum; si enim quaeritur propter quid Romani sic vocantur, non respondetur quia pater eorum romanus est aut fuit, sed quia conditor urbis vocatus est Romulus.

Lege litteram: videtur autem neque genus neque species simpliciter dici, id est: tantum uno modo. Construe sic: genus enim dicitur uno modo collectio aliquorum quodammodo se habentium ad unum aliquid et ad se invicem; secundum quam significationem collectio Romanorum dicitur genus ab unius scilicet habitudine, videlicet Romuli, a quo Romanorum seu romuleorum genus nomen et principium sumpsit.

§2

Dico autem... 1,21-3 . Et si aliquis interrogaret ex quo genus hoc modo importat duplicem habitudinem, unam totius multitudinis ad aliquod unum et aliam partium multitudinis invicem, per quam istarum habitudinem differt genus romanorum ab alio genere consimiliter accepto, videlicet a genere priamicorum aut ab alio talem denominationem accipiente ab aliquo primo, respondet consequenter Porphyrius quod ab

utraque habitudine accipitur huiusmodi distinctio. Quoniam romana de-
nominatio, quae est a Romulo, secundum divisionem separatur ab aliis
generibus, quae quidem divisio ortum habet a duplici habitudine, vi-
delicet ab habitudine Romuli et ab habitudine dictae multitudinis ha-
bentium se quodammodo ad invicem.

Lege litteram et construe sic: dico autem eam cognationem quae est
ab illo, id est: denominationem romanorum, quae est a Romulo, secun-
dum divisionem ab aliis generibus separari, quae quidem divisio est
ab habitudine Romuli et ab habitudine dictae multitudinis aliquo mo-
do se habentium ad invicem.

§3

Quomodo 'universale' praedicatur de quinque universalibus

Notandum primo quod sicut ens non aequaliter dicitur de praedica-
mentis decem, sed secundum prius et posterius, prius quidem de sub-
stantia et posterius de aliis praedicamentis, secundum ordinem natu-
rae, ut colligitur de mente Philosophi, VII Metaphysicae,⁹ ita univer-
sale non aequaliter praedicatur de quinque praedicabilibus, sed inae-
qualiter secundum prius et posterius. Dicitur enim, I Posteriorum,¹⁰
quod universale est unum in multis et de multis, ergo eo modo univer-
sale praedicatur de quinque universalibus quo modo invenitur in eis
unum in multis et de multis; constat autem quod sicut qualitas prae-
supponit substantiam, ita universalis quae praedicatur in quale prae-
supponunt universalis quae praedicatur in quid; ideo esse unum in mul-
tis et de multis prius invenitur in genere et in specie quam in dif-
ferentia, proprio et accidente. Et quia prius est genus quam species,
sicut prius est species quam individuum, propterea esse unum in mul-
tis et de multis prius invenitur in genere quam in specie.

Iterum, quia accidentale praesupponit essenziale, ideo proprium et
accidens, quae praedicantur accidentaliter, praesupponunt differentiam,

quae essentialiter praedicatur; quam ob rem esse unum in multis et de multis prius in differentia reperitur quam in proprio et accidente. Rursus, id quod est per accidens praesupponit id quod est per se, ut probatur II Physicorum;¹¹ et proprium praedicatur per se, accidens autem praedicatur per accidens, ut habet videri I Posteriorum;¹² propterea esse unum in multis et de multis prius invenitur in proprio quam in accidente, attento quod proprium fluit a specie et accidens ab in dividuo -constat autem speciesm priorem esse individuo. Ex quibus se quitur quod esse unum in multis et de multis prius invenitur in gene re quam in specie, et prius in specie quam in differentia, et prius in differentia quam in proprio, et prius in proprio quam in accidente; sed eundem ordinem servat definitum in praedicando quam servat definitio in essendo; ideo universale prius praedicatur de genere quam de specie, et prius de specie quam de differentia, et prius de differentia quam de proprio, et prius de proprio quam de accidente. Porphyrius autem hunc ordinem praedicandi considerans, eundem in determinando servavit; nam prius determinavit de genere quam de specie, et prius de specie quam de differentia, et prius de differentia quam de proprio, et prius de proprio quam de accidente. Et quoniam aequivocatio excludenda est a definitione, ideo praemittit varias significationes generis, ut eam accipiat quae definitioni generis dandae a logico consona fuerit. Et hoc est quod ipse dicit¹³ "videtur autem neque genus neque species simpliciter dici"; et non accipit illud verbum 'videtur' ut est expressivum apparentiae, eo modo quo Aristotele loquitur in libro Elenchorum,¹⁴ dicens "alii videntur hoc facere et non faciunt", neque ut est expressivum probabilitatis, eo modo quo accipit Philosophus in Topicis,¹⁵ dicens "probabile est illud quod omnibus aut pluribus videtur", sed ut est expressivum veritatis, eo modo quo accipit in libro De anima,¹⁶ dicens quod color videtur per medium actu illuminatum.

De denominatione

Secundo notandum quod sicut duplex est ens, videlicet simpliciter, quod est substantia, et ens quodammodo, quod est accidens, iuxta doctrinam Aristotelis, IV et VII Metaphysicae,¹⁷ ita duplex est denominatio, videlicet simpliciter et secundum quid. Denominatio essentialis est denominatio simpliciter, ut 'homo est animal' et 'albedo est color'; denominatio quodammodo est denominatio accidentalis, ut 'homo est albus' et 'animal currit'. Quia igitur denominatio Romanorum est accidentalis, sive proveniat ab habitudine partium multitudinis invicem, sive ab habitudine totius multitudinis ad unum aliquid, propterea dicit Porphyrius¹⁸ quod genus dicitur uno modo collectio aliquorum quodammodo se habentium ad unum aliquid et ad se invicem. Quaelibet ergo harum denominationum, 'aliquis homo est romanus', 'aliqua multitudo est romana', est accidentalis, quoniam tam particulari homini quam multitudi accidit quod Romulus fuerit conditor urbis.

Dubitatur, si collectio romanorum dicitur genus ex habitudine totius multitudinis ad unum aliquid et ex habitudine partium ad invicem illius multitudinis, a qua illarum habitudinum magis et prius recipiat denominationem generis, et utrum illud unum a quo recipit denominationem includatur in hoc genere aut excludatur.

Respondetur quod magis et prius recipit denominationem ex habitudine totius multitudinis ad illud unum quam ex habitudine partium multitudinis invicem, quoniam haec habitudo dependet ab alia, et propter quod unumquodque tale et illud magis, per Aristotelem, I Posteriorum;¹⁹ et sicut collectio Romanorum magis et prius denominationem recipit a prima habitudine quam a secunda, ita per illam magis et prius a quolibet alio genere consimiliter accepto distinguitur. Et hoc intendit Porphyrius cum ait:²⁰ "dico autem Romuli et multitudinis habentium aliquo modo ad se invicem". Praeponit autem Romulum multitudi intendens

dens habitudinem totius multitudinis ad illum priorem et principalio rem esse.

Item, sicut multitudo hominum armorum invicem congregatorum ad proelium vocatur exercitus, sive dux includatur tanquam pars sive excludatur tanquam principium, ita collectio Romanorum dicitur genus sive intelligatur Romulus includi in hac multitudine sive excludatur. Consimiliter dicatur de genere priamicorum et de quolibet alio consimili ter accepto.

§5

Dicitur autem et aliter... 1,23-2,5 . Ista est secunda signifi-
catio generis quam ponit Porphyrius, dicens²¹ "aliter dicitur genus principium uniuscuiusque generationis, sive accipiatur principium ab eo qui genuit, cuiusmodi est pater, sive a loco in quo quis genitus est".

Exemplum primi, dicimus enim Orestem a Tantalos avo suo habere gene rationem, et alium, nomine Hyllum, ab Hercule proavo suo etiam habere generationem; ergo tam Hercules quam Tantalus fuit genus huius totius multitudinis descendens ab eo. Nominat autem Porphyrius 'patrem' a avum et proavum ad denotandum quod non dicitur 'genus' illud quod est principium tantum unius generati, sed multorum simul vel successive accidentium ab illo. Neque oportet quod ille homo qui est genus respectu istius sit pater eius, sed sufficit quod fuerit pater patris aut alterius a quo iste descendit. Cum ergo dicitur quod genus accipitur alio modo pro eo quod est principium uniuscuiusque generationis, id est: uniuscuiusque generatae multitudinis, ita quod non accipitur generatio pro simplici mutatione de non esse ad esse, sed pro quadam multitudine generata; eo modo quo solemus dicere hanc familiam esse bonam generationem, illam vero malam.

Exemplum secundi, videlicet de loco, quoniam dicimus Pindarum the

banum esse genere, quia natus est Thebis; Platonem vero atheniensem, quia natus est Athenis. Ergo Thebae et Athenae sunt genera ex eo quia sunt principia generationis, id est: multitudinis generatae. Sicut enim pater est principium effectivum uniuscuiusque generationis quia influit semen, ita et locus, quia influit virtutem receptam a caelo. Ergo si pater est genus, per idem locus est genus; non quidem locus proprius, quia ille non influit nisi in unum, sicut non continet nisi unum, sed locus communis, cuiusmodi est patria, quae habet virtutem generativam et praeservativam non solum unius sed multorum. Videmus enim homines diversarum patriarum habere distinctos mores et variatas condiciones -quod quidem provenit ex diversitate locorum a caelo recipientium diversas virtutes et influentias.

Lege litteram: dicitur autem et aliter rursus genus quod est uniuscuiusque generationis, id est: multitudinis generatae, principium vel ab eo qui genuit vel a loco in quo quis genitus est. Sic enim Orestem quidem dicimus a Tantalio habere genus, id est: generationem, Hyl- lum autem ab Hercule; et rursus Pindarum quidem Thebanum esse genere, Platonem vero Atheniensem. Et enim patria est uniuscuiusque generatio- nis principium quemadmodum et pater.

§6

Haec autem videtur... 2,5-7 . Et si aliquis quaereret quae istarum duarum significationum est propinquior et magis in promptu ad significationem generis de quo logicus intendit, respondet Porphyrius²² quod ista secunda significatio est promptissima et maxime propinqua, duas rationes assignans. Quarum prima sumitur ex parte reductionis, quoniam prima significatio generis reducitur in secundam; dicimus enim quod Romani sunt illi qui descendunt ex genere Romuli, et Cecropidae sunt illi qui descendunt ex genere Cecropis, ac etiam proximi istorum et consanguinei per rectam lineam sic denominatur. Ergo Romulus et Ce

cropes sunt genera sicut pater et patria, sed non ita proprie, quoniam pater descendit in filios et patria in locatos per generationem, Romulus autem descendit in Romanos per denominationem; non enim genuit Romanos sed multas civitates propinquas univit et eas uno muro cinxit. Et ex hoc civitas sic murata et ex pluribus civitatibus aggregata dicta est Roma, civesque omnes consequenter Romani vocati sunt.

Ex quo patet quod haec secunda significatio generis est promptissima ad significationem generis logici, quoniam sicut pater substantialiter descendit in posteros per emissionem seminis decisi ab eo, ita genus logicum descendit in species per emissionem differentiarum fluentium ab eo. Non autem sic substantialiter, sed solum denominative Romulus aut Cecropes descendit in posteros.

Lege litteram: haec autem videtur esse promptissima significatio, ex maxime propinqua significationi generis logici. Romani enim sunt qui ex genere descendunt Romuli, et Cecropides sunt qui ex genere descendunt Cecropis et eorum proximi in consanguinitate.

§7

Et prius quidem appellatum... 2,7-10 . Secunda ratio sumitur ex parte causalitatis, quoniam haec secunda significatio est causa primae significationis. Prius quidem uniuscuiusque generationis principium vocatum est genus, deinde haec denominatio generis translata est ad illam multitudinem quae est ab uno principio, videlicet a Romulo; quoniam nos dividentes Romulum ab aliis principiis et hanc multitudinem, cuius ipse fuit principium, separantes ab aliis multitudinibus, totam illam collectionem romanorum dicimus esse genus. Quam multitudinem non diceremus esse genus nisi intelligeremus unum esse principium a quo haec tota multitudo descendit, sicut pater est principium a quo sui posterii derivantur.

Ex quo videtur quod ista secunda significatio est magis in promptu

ad significationem generis logici quam prima significatio, quoniam principium multitudinis quae est genus non dicitur forma neque materia illius; genus autem logicum habet rationem formae et materiae respectu suarum specierum, sicut pater respectu filiorum. Nam omne agens agit secundum quod est in actu et omne patiens patitur secundum quod est in potentia, per Aristotelem, III Physicorum;²³ sed omne quod est in actu habet rationem formae et omne quod est in potentia habet rationem materiae, ut probatur IX Metaphysicae;²⁴ igitur pater respectu filiorum quos generat aut qui ab eo descendunt per generationem habet rationem formae. Sicut enim forma necessitat et determinat materiam, ita agens necessitat et determinat effectum suum.

Iterum, pater habet rationem materiae in quantum semen ab eo decissum, quod est pars substantialis eius, efficitur materia in generatione filiorum; sic etiam genus habet rationem formae et materiae respectu suarum specierum. Habet enim rationem formae in quantum est quoddam totum continens omnes suas species -totum enim est forma, inquit Aristoteles, II Physicorum-,²⁵ in quantum vero est pars speciei contracta per differentiam habet rationem materiae -sicut enim materia naturalis vel artificialis determinatur a forma, ita genus a differentia, per Philosophum, VII Metaphysicae.²⁶

Lege litteram: et prius quidem appellatum est genus uniuscuiusque generationis principium, dehinc etiam multitudo eorum qui sunt ab uno principio, ut a Romulo; namque dividentes ipsum ab aliis principiis et ab aliis multitudinibus hanc multitudinem separantes, dicebamus omnem, id est: totam, illam collectionem esse romanorum genus.

§8

De principio generationis

Notandum primo, secundum Philosophum in libro De animalibus,²⁷ quod non solum pater, sed etiam mater est principium generationis, licet non

eodem modo, quia pater est principium activum, mater vero est principium passivum. Et ex hoc uterque dicitur genus. Pater quidem dicitur genus non quia in eo fit generatio, sed quia habet virtutem activam generandi, sicut sol dicitur calidus non quia habeat in se caliditatem, sed quia habet in se virtutem calefaciendi. Assimilatur autem pater subiecto scientiae quod dicitur esse genus, iuxta illud Philosophi, I Posteriorum,²⁸ "una scientia est unius generis subiecti partes et passionem considerans"; quoniam sicut subiectum scientiae virtualiter continet omnes conclusiones demonstrandas in scientia illa, ita pater continet virtualiter omnes posteros immediate aut mediate descendentes ab illo. Mater vero assimilatur materiae, quam Aristoteles, V Metaphysicae,²⁹ vocat 'genus', quoniam sicut materia est in potentia passiva ad multas formas generandas, ita mater est in potentia passiva ut ex ea diversi filii generentur. Quia ergo tam mater quam pater est principium generationis, id est: multitudinis generatae, et consequenter quilibet illorum est genus, Porphyrius nullum specificavit, sed ambos intellexit cum dixit: "vel ab eo qui genuit". Et quia pater concurrens active ad generationem se habet ut actus et forma, mater vero concurrere passive se habet ut materia et potentia, et unumquodque magis denominatur ab actu quam a potentia, et a forma quam a materia, ut habetur II Physicorum,³⁰ ideo Porphyrius exemplificavit de patre et non de matre.

§9

De differentia inter tempus et locum

Secundo notandum, ex doctrina Aristotelis IV Physicorum,³¹ quod haec est differentia inter tempus et locum, quia tempus non est per se causa generationis, sed potius dicitur causa corruptionis. Quia dicimus res tabescere, antiquari et mori propter tempus; nihil autem dicimus generari aut innovari propter tempus. Locus autem est per se

causa generationis et conservationis rerum; non quidem locus mathematicus, quia ille abstrahit ab omni actione et passione et ab omni qualitate sensibili, sed locus naturalis, includens qualitates primas vel secundas, aut virtutes caelestes actuantes sphaeram elementorum. Gravia enim moventur deorsum et levia moventur sursum, et naturaliter quiescunt in locis illis consimiliter se habentia, sicut ferrum cum magnete. Et hoc ideo quia loca illa per virtutes naturales conservant et perficiunt gravia et levia sicut magnes ferrum.

Iterum, locus generat locatum. Nam elementum ignis est locus ceterorum elementorum, ut colligitur a Philosopho, IV Physicorum,³² et omnia illa generat; aliquando quidem generat aërem ex aqua corrumpendo frigiditatem eius, generat autem terram ex aqua corrumpendo humiditatem aquae, ut habetur II De generatione.³³

Quia ergo tempus non est per se causa generationis, sed locus, ideo Porphyrius non facit mentionem de tempore sed de loco; et quia non locus mathematicus est causa generationis, sed locus naturalis, propterea exemplificat de patria et non de superficie, quam Aristoteles, IV Physicorum,³⁴ vocat locum.

§10

De significationibus generis quoad artificialia

Tertio notandum, secundum Avicennam in principio suae Logicae,³⁵ quod istae duae significationes generis non tantum inveniuntur in civilibus quoad primum modum et in naturalibus quoad secundum modum, sed etiam in artificialibus quoad utrumque modum. Unde collectio nautarum dicitur genus a Nausica, qui in arte nautica floruit, et collectio fabricorum dicitur genus tubalistarum a Tubal, qui artem fabrilem invenit. Tale quidem genus ad primam significationem pertinet. Cum autem dicimus aliquos habere generationem in arte navigandi vel domicicandi a patre aut ab avo vel proavo, talis infundens artem illam di-

citur genus quo ad secundam significationem. Neque inconvenit quod istae duae significationes coincidant. Si enim multitudo descendenti-um recipit nomen et non generationem substantialem vel accidentalem, talis multitudo est genus primae significationis; si autem talis multitudo recipit generationem et non denominationem, illa pertinet ad genus secundae significationis; si vero utrumque recipiat, tam nomen quam generationem, huiusmodi multitudo ad utramque generis significationem pertinet. Epicurei enim et Pithagorici, quia denominationem acceperunt ab Epicuro et Pythagora, ac etiam generationem, in quantum scientia illorum est transfusa in discipulos, ad utramque significationem generis perinent. Peripatetici autem et Stoici, quia non accipiunt nomen ab Aristotele et Platone, qui fuerunt principes istarum sectarum, sed solum generationem non substantialem sed accidentalem, in quantum ipsi descenderunt in posteros per scientiam transfusam in eos, ad secundam generis tantum significationem pertinent; ita quod Aristoteles dicitur genus Peripateticorum et Plato Stoicorum.

§11

De prima significatione generis

Quarto notandum, secundum Burlaeum,³⁶ quod non quaecumque multitudo descendens ab uno patre dicitur esse genus, quia sic collectio omnium hominum diceretur esse unum genus -quod est falsum. Sed multitudo descendenti-um ab uno patre, a quo tamen patre alii patres non descenderunt, dicitur esse genus in prima significatione generis.

Ista determinatio est dubia, quia in prooemio Metaphysicae³⁷ dicit Philosophus quod hominum genus arte et experientia vivit, ubi loquitur de multitudine omnium hominum; ergo collectio omnium hominum est genus.

Deinde praesupponit Burlaeus quod collectio omnium hominum ab uno patre descenderit. Quod quidem licet verum sit, quia ab Adam primo

patre processit tota humana species, tamen hoc forte non fuit de intentione Porphyrii; nam cum ipse Peripateticus fuerit, sequens doctrinam Aristotelis, ut ex verbis eius manifeste convincitur, credit multum aeternum esse et humanam speciem numquam habuisse initium in genere causae efficientis.

Praeterea, genus primae significationis est genus civile, nullam recipiens generationem a suo principio, sed denominationem, secundum intentionem Porphyrii, dicentis³⁸ quod ibi est duplex habitudo, videlicet partium multitudinis inter se et totius multitudinis ad unum aliquid; constat autem quod multitudo descendens ab uno patre recipit generationem a suo principio, non autem denominationem, quia Orestem non dicimus tantaleum, neque Hyllum vocamus herculeum, sed simpliciter dicimus hunc habere genus ab illo.

Dicendum ergo quod sicut principium primae multitudinis non est vere genus, quia non descendit in posteros per aliquid sui, sed tantum denominative, dicitur autem genus metaphorice, per quamdam similitudinem ad principium secundae multitudinis, ita secunda multitudo non est vere genus, quia assimilatur speciebus contentis sub genere logico, sed dicitur genus per quamdam similitudinem ad primam multitudinem. Quia sicut illa habet principium, ita et ista, et sicut illius multitudinis unum generatur ab alio, ita est istius. Non tamen omnes de prima multitudine habent parentelam et consanguinitatem invicem sicut illi de secunda multitudine. Isto modo collectio omnium hominum est genus, non vere et proprie, sed per quamdam similitudinem, ratione sui principii propinqui quod est natura specifica. Sicut enim pater est principium efficiens et mater est principium materiale aliquorum hominum, ita natura specifica est formale principium omnium hominum descendens in eo, non tamen secundum aliquid sui, sed secundum totam suam essentiam.

§12

Aliter autem rursus... 2,10-13 . Ista est tertia significatio ge
neris, quam exprimit Porphyrius dicens³⁹ quod genus iterum aliter di
citur cui immediate supponitur species.

Per hoc differt genus ab aliis quattuor praedicabilibus. Primo qui
dem differt a specie, quia speciei ut sic non immediate supponitur
species sed individuum. Licet enim animali immediate subiciatur spe-
cies, et ex hoc speciei immediate subicitur species —quia animal est
species subalterna—, non tamen speciei in eo quod species est subi
tur species, quia tunc speciei specialissimae subiceretur species
—quod est falsum. Secundo differt genus a differe
ntia non subicitur generi, sed ponitur in linea laterali; alioquin
praedicaretur per se de differentia genus, contra determinationem Ari
stotelis, III Metaphysicae,⁴⁰ dicentis quod genus non praedicatur per
se de differentia, sed per accidens. Tertio genus differt a proprio
et ab accidente, quia proprium et accidens non sunt in praedicamento
illius generis; ideo nullum illorum subicitur generi, alioquin genus
praedicaretur de illis in primo modo dicendi per se, cuius contrarium
determinatur I Posteriorum.⁴¹ Esse ergo illud cui immediate supponitur
species est quaedam passio demonstrabilis de genere, per quam, a poste
riori, genus differt a quolibet alio praedicabili. Demonstratio autem
sic fit: omne illud inter quod et speciem nihil mediat, est illud cui
immediate supponitur species; sed genus est illud inter quod et spe-
ciem nihil mediat; igitur genus est illud cui immediate supponitur
species. Et subiungit Porphyrius⁴² quod genus sic sumptum forte dici
tur ad similitudinem praecedentium significationum, quoniam sicut pa
ter et patria est principium generatae multitudinis, non quidem cui
scumque, sed tantum descendens ab aliquo illorum, ita genus est
principium specierum, non quidem omnium, sed earum tantum quae sub
ipso sunt. Et per hoc genus logicum habet similitudinem cum genere
naturalis secundae significationis. Habet etiam similitudinem cum gene

re civili primae significationis, quoniam sicut collectio multorum descendendum ab uno principio per denominationem continet totam illam multitudinem, ita genus continet omnem multitudinem quae sub eo est, tam individuorum quam specierum.

Lege litteram: aliter autem rursus genus dicitur cui supponitur species, ad horum fortasse praecedentium generum similitudinem dictum. Etenim principium quoddam est huiusmodi genus earum quae sub se sunt specierum, sicut pater principium est filiorum. Videtur etiam multitudinem continere omnem quae sub eo est, sicut collectio romanorum.

§13

De differentia et convenientia inter tres significationes generis

Notandum quod ista tria genera conveniunt et differunt. Conveniunt quidem in hoc, quod eorum quodlibet importat unitatem principii; differunt autem multiplici differentia.

Prima quidem differentia est ex parte principiorum, quoniam principium primi generis est principium denominativum, principium secundi generis est principium effectivum, principium tertii generis est principium formale, quia genus est forma suarum specierum. Et ex hoc principium primae multitudinis descendit in illam non per aliquid sui, principium secundae multitudinis descendit in eam solum per aliquid sui, principium vero tertiae multitudinis descendit in ipsam secundum totam essentiam suam, quia tota essentia generis est in qualibet suarum specierum.

Secunda differentia est ex parte multitudinum, quia quaelibet pars primae multitudinis subicitur generi sicut pars integralis, quaelibet autem pars secundae multitudinis subicitur generi sicut pars virtualis, quaelibet pars tertiae multitudinis subicitur generi sicut pars subiectiva. Et ex hoc quaelibet pars tam primae quam secundae multitudinis realiter differt a suo genere; nulla autem pars tertiae multitudinis

realiter differt a suo genere, quia idem est homo et animal.

Tertia differentia est ex parte generum, quoniam primum genus est in actu per solam congregationem, secundum est in actu per veram compositionem, tertium autem de se est in pura potentia. Quoniam sicut materia est de se indifferens et indeterminata, determinatur autem per formam et contrahitur ad determinatum compositum, ita genus logicum est de se indifferens et indeterminatum, determinatur autem per differentiam et contrahitur ad determinatam speciem; et sicut materia non est de essentia formae nec e contra, ita genus non est de essentia differentiae neque e converso. Et ex hoc nullum illorum alteri supponitur; species autem supponitur generi, quia licet species non sit de essentia generis, tamen genus est de essentia speciei.

Quarta differentia est ex parte contentorum, quoniam primum genus non descendit in sua contenta, ex quo componitur ex illis; secundum genus descendit in sua contenta per aliquid separatum secundum esse et secundum rationem; tertium vero genus descendit in omnia sua contenta per nihil separatum secundum esse. Descendit enim in omnes suas species per differentias ei coniunctas, et in omnia sua individua per species quarum est pars. Ipsa autem species descendit in sua individua non per differentias dividentes ipsam, sed per divisionem materiae et accidentium contrahentium naturam specificam ad diversa individua. Propter quam causam ubi non est materia neque accidens dividens, natura specifica tantum in uno individuo invenitur.

Quia ergo genus logicum parum convenit cum aliis generibus et multum differt a quolibet eorum, propterea dicit Porphyrius, quasi dubitans, quod genus tertio modo sumptum est forte dictum ad similitudinem aliorum.

Quattuor argumenta contra dicta Porphyrii, cum suis responsionibus

Contra praedicta arguitur. Et primo quod ordo doctrinae est insuficiens, quia prius est genus logicum quam genus naturale. Prius enim est animal quam Tantalus aut Hercules, qui dicitur genus naturale. Et prius est genus naturale quam genus civile, quia prius est generationis principium quam collectio Romanorum. Et hoc idem ponit Porphyrius, dicens quod prius appellatum est genus uniuscuiusque generationis principium. Et ab hoc venit quod multitudo descendens ab uno principio dicitur genus; igitur significatio generis logici in doctrina debet praecedere significationem generis naturalis, et significatio generis naturalis praecedere debet significationem generis civilis. Patet consequentia, quia res sicut se habet ad esse ita ad cognosci, per Philosophum, II Metaphysicae.⁴³

Secundo arguitur quod significationes generum sunt diminutae, quia grammaticus determinat de genere masculino, logicus de genere attributionis, quod est subiectum scientiae, physicus vero determinat de genere inhaesionis, quod est subiectum recipians, de quibus Porphyrius nullam facit mentionem. Deinde generationis quattuor sunt principia, videlicet efficiens et finis, forma et materia, ut habetur II Physicorum.⁴⁴ Et praeter agentia particularia sunt agentia universalialia, videlicet Deus, caelum et intelligentiae, iuxta illud Aristotelis in loco allegato:⁴⁵ "sol et homo generant hominem ex materia", de quibus breviter Porphyrius nihil dicit.

Tertio arguitur quod genus non est principium suarum specierum, quia compositum non est principium suorum componentium. Domus enim non est principium lapidum et lignorum, sed e contra. Genus autem componitur ex suis speciebus, ut testatur Commentator in prologo Physicorum,⁴⁶ assignans tres compositiones, videlicet individui ex materia et forma, speciei ex genere et differentia, ac etiam generis ex suis speciebus.

Quarto arguitur quod genus non continet omnes suas species, quia pars continetur a suo toto; sed genus est pars speciei, ut iam allegatum est per Commentatorem, et idem asserit Porphyrius in hoc libro et Philosophus IV Physicorum.⁴⁷ Ergo potius genus continetur a suis speciebus quam ipsum contineat illas. Et quia dicit Porphyrius⁴⁸ quod ista continentia est ad modum generis civilis, sequitur quod genus non sit aliquid per se unum, sed tantum per aggregationem, sicut collectio Romanorum. Quod est falsum, quia tunc non esset pars speciei, neque praedicaretur de aliqua illarum, sicut nec collectio Romanorum praedicatur de aliqua suarum unitatum, neque alicuius illarum est pars.

Ad primum dicitur quod illa propositio Philosophi⁴⁹ "sicut res se habet ad esse, ita se habet ad cognosci", est intelligenda quo ad naturam, non autem quo ad nos; quoniam partes essentiales sunt priores composito, et tamen nos prius cognoscimus composita quam partes essentiales ipsorum, ut ostendit Philosophus in prologo Physicorum.⁵⁰

Iterum, substantia est prior accidente, per Aristotelem, VII Metaphysicae,⁵¹ et tamen prius cognoscimus accidentia quam substantia, quoniam accidentia, tam propria quam communia, sentimus per se, substantiam autem per accidens, ut probatur II De anima.⁵² Non igitur semper talis debet esse ordo in doctrina qualis est in rebus. Unde Deus et intelligentiae praecedunt naturaliter generabilia et corruptibilia, et tamen ordine doctrinae prius habetur doctrina de istis; universalis enim sunt difficillima ad cognoscendum -inquit Philosophus in prooemio Metaphysicae.⁵³ Significatio ergo generis civilis praecedit tamquam minus utilis, significatio autem generis naturalis subsequitur tamquam magis declarans naturam generis logici. Pater enim, secundum Philosophum, VIII Ethicorum,⁵⁴ habet aliquid sui in filio, et illud quod habet in filio est virtualiter totus pater. Propter quod opinabatur Plato⁵⁵ quod semen decisum a patre est parvus pater; parvus

quidem quantitate, sed totus et integer virtute. Sic etiam genus logi-
cum est in specie virtualiter quidem in quantum dividitur per diffe-
rentiam, formaliter vero in quantum est pars speciei. Assimilatur et
etiam loco non tantum in ratione continentiae, sed etiam principiandi.
Pater enim est principium substantiale generati, quia ei tribuit par-
tem suae substantiae; et locus est principium accidentale, quia nihil
tribuit de sua substantia generato, sed tantum accidentia. Ita genus
est principium essentiale speciei, quia ei totam suam essentiam commu-
nicat; est autem principium accidentale differentiae in quantum genus
accidit differentiae et e contra.

Ad secundum respondetur per Boethium in Praedicamentis,⁵⁶ dicentem
quod non semper divisio respicit omnes significationes divisi, sed tan-
tum eas quae sunt ad propositum. Quia autem ad manifestandum naturam
generis logici sufficiebat significatio generis naturalis et civilis,
ideo non plures debuit ponere generis significationes. Concedatur ta-
men quod ea genera quae considerat grammaticus, logicus et physicus
reducuntur ad genus naturale; nam quia est genus non tantum pater sed
etiam mater, ideo genus masculinum et femininum, ac etiam attributivum
et receptivum, quod est materia, reducitur ad genus naturae.¹ Nam genus
masculinum et genus attributionis reducitur ad patrem, genus vero fe-
mininum et materia recipiens reducitur ad matrem. Et quia genus natu-
rale dicitur a generando, non autem generat materia, neque forma, ne-
que finis, ideo tantum de principio effectivo fecit Porphyrius mentio-
nem. Mater enim etsi patitur administrando materiam, tamen etiam agit
ad fetus productionem per qualitates primas. Agentia autem universa-
lia, quia omnia generata respiciunt, non habent rationem generis; si-
cut nec ens, quod est commune ad omnia. Unde multitudo omnium rerum
non potest vocari genus; sed bene multitudo omnium hominum, quia di-
stinguitur contra multitudinem omnium equorum; sicut etiam collectio
Romanorum, dicta a Romulo, aut collectio italicorum, nuncupata ab Ita-

lo rege, dicitur genus.

Ad tertium respondetur quod genus ut contractum per differentiam est pars speciei, et sic indubie est principium specierum; ut autem indeterminatum est, quoddam totum dicitur ad suas species. Non enim divideretur animal in hominem et bestiam nisi homo et bestia essent partes eius. Dicit enim Philosophus, I Physicorum,⁵⁷ quod domus fit ex lateribus, et lateres sunt principia domus in compositione, ita domus est principium laterum in resolutione; sed divisio generis in species est quaedam resolutio; igitur genus tam contractum quam inde terminatum est principium suarum specierum. Sicut enim elementa habent esse confusum in mixto, in resolutione autem habent esse distinctum, ita species habent esse confusum in genere, cum autem dividitur ipsum genus, species habent esse distinctum.

Item, dicit Philosophus, VII Metaphysicae,⁵⁸ quod duplices sunt partes, videlicet formales et materiales. Formales sunt priores toto, materiales autem sunt posteriores; unde anima et corpus, seu cor et cerebrum, sunt partes formales hominis, manus autem et pes, seu nasus et oculus, sunt partes materiales. Species habet tam partes formales quam materiales: partes formales speciei sunt genus et differentia, et istae sunt priores specie et principium eius; partes materiales sunt individua, quae sunt posteriora specie, quorum ipsa species dicitur esse principium. Genus autem non habet partes formales, sed tantum materiales, quae sunt species eius; igitur genus omnibus suis partibus prius est atque principium.

Ad quartum iam responsum est concedendo quod genus continet speciem et continetur ab ea. Continet enim speciem in quantum est quoddam totum indeterminatum; continetur autem in quantum est pars contracta per differentiam. Forma enim continet materiam in quantum trahit eam ad determinatam speciem; continetur autem a materia in quantum est subiective in ea. Linea enim continet puncta in quantum puncta sunt aliquid

eius; continetur autem a punctis in quantum clauditur inter ea. Quando autem dicitur quod genus continet species sicut multitudo civilis suas unitates, non propter hoc debet concludi quod genus non est per se unum sicut nec illa multitudo. Quia superficies concava caeli ita continet elementum ignis sicut superficies aquae et superficies aëris continet elementum terrae, et e contra; et tamen superficies concava caeli est unum per se, illae autem duae superficies continentem terram non sunt unum nisi per aggregationem. Unde concedo quod genus est unum per se sicut species, alioquin non esset per se in praedicamento, neque praedicaretur de specie, neque esset pars illius; et consequenter debet vocari una natura et unus conceptus sicut species. Non tamen ab eodem artifice. Unde genus, et species, a metaphysico vocatur natura, a logico autem nuncupatur conceptus; eo quod metaphysicus considerat rem secundum se, logicus autem considerat rem ut habet esse in intellectu obiective vel subiective. Genus ergo mentale est conceptus subiectivus existens formaliter in intellectu, sicut accidens in subiecto; genus vero reale est conceptus obiectivus terminans actum intelligendi ipsius intellectus. Genus ergo, secluso omni opere intellectus et omni respectu ad intellectum, est natura, sed non conceptus, quia conceptus dicit respectum ad intellectum; secluso autem omni opere intellectus, genus est conceptus, non quidem actus sed potentia. Cum autem genus actu terminat cognitiones intellectus, tunc dicitur conceptus in actu. Consimiliter dicatur de specie quod ipsa est natura et conceptus eo modo quo genus.

Item, genus et species non sunt intentiones secluso respectu ad intellectum; bene autem sunt intentiones secluso opere intellectus. Sed sunt intentiones in potentia; adveniente autem opere intellectus fiunt intentiones in actu.

§15

Tripliciter ergo ... 2,14-17 . Praemissis his tribus significationibus generis, quia prima ad legistas pertinet, secunda ad naturales, tertia autem ad logicos, dimissis duabus primis tertiam accipit Porphyrius, eo quod de genere sumpto tertio modo apud philosophantes in logica mentio est, consideratio atque determinatio. Quod quidem genus descripserunt, et describentes illius definitionem assignaverunt, dicentes:⁵⁹ "genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, ut animal". Ubi patet quod Porphyrius assignavit duas definitiones generis. Quarum prima data est ab eo et est principium demonstrationis, alia vero assignata est ab antiquis Peripateticis et est demonstrationis conclusio. Unde genus et species possunt dupliciter considerari: aut secundum ordinem praedicamentalem, aut secundum inhaerentiam praedicati ad subiectum; et quia ordo praedicamentalis praecedit naturaliter inhaerentiam praedicati ad subiectum, ideo haec definitio data a Porphyrio,⁶⁰ videlicet 'genus est illud cui immediate supponitur species', est formalis et principium demonstrationis. Alia vero quam antiqui assignaverunt est materialis et conclusio demonstrationis, scilicet 'genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid'.

Et fit demonstratio per hunc modum: omne illud cui immediate supponitur species est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid; sed genus est illud cui immediate supponitur species; igitur genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid. Neque inconvenit quod eadem definitio sit formalis et materialis respectu diversorum, quoniam motus habet tres definitiones, ut colligitur a Philosopho et Commentatore, III Physicorum.⁶¹ Prima est tantum demonstrationis principium, ut 'motus est exitus de potentia ad actum; secunda est solum demonstrationis conclusio, ut 'motus est actus mobilis in quantum mobile'; tertia vero est simul

principium demonstrationis et conclusio demonstrationis, ut 'motus est actus entis in potentia secundum quod in potentia' -haec quidem est demonstrationis conclusio respectu primae et demonstrationis principium respectu secundae. Ideo prima definitio est tantum formalis, secunda est solum materialis, tertia vero est formalis et materialis. Ita in proposito haec definitio 'genus est illud inter quod et speciem nihil mediat', quia notissima est, necessario est solum formalis et demonstrationis principium; haec autem 'genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid' est solum materialis et demonstrationis conclusio; haec vero 'genus est illud cui immediate supponitur species' est formalis et materialis; nam respectu primae definitionis est materialis et demonstrationis conclusio, respectu vero secundae definitionis est formalis et demonstrationis principium.

Lege litteram: tripliciter ergo cum dicatur genus de tertio significato apud philosophos logicales sermo est, quod etiam describentes assignaverunt genus esse dicentes quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid sit praedicatur, ut animal.

§16

De definitione istarum intentionum 'genus' et 'species'

Notandum primo quod sicut homo secundum se consideratus non est risibilis, sed ei accidit risibilitas per quam sit risibilis, ita secundum se tantum acceptus non est species, sed accidit specialitas per quam efficitur species. Etiam animal ut consideratur tantum in se non est genus, sed si accidit generalitas per quam est genus. Ex quo sequitur quod istae intentiones secundae, genus et species, nullum ex se habent ordinem praedicamentalem; sed si aliquem habent hoc est tantum ratione naturarum, quarum una est genus et alia species. Homo enim et animal ex se et per naturam suam, secluso omni opere intellectus,

habent ordinem praedicamentalem, ideo homo praedicatur de pluribus differentibus numero et animal praedicatur de pluribus differentibus specie; et generaliter omnis species praedicatur de pluribus differentibus numero, et omne genus praedicatur de pluribus differentibus specie. Tamen illae intentiones secundae, genus et species, non sic praedicantur, quia non vere dicitur 'Sortes est species', neque bene dicitur 'homo est genus'.

Ex quibus sequitur quod, cum definitur genus, aliud est quod definitur et aliud pro quo supponit definitum; definitur enim intentio secunda, et illud pro quo supponit definitum est intentio prima, videlicet id quod est genus generalissimum vel subalternum, ut animal, corpus, substantia, color, qualitas et huiusmodi.

Verbi gratia, si definitur album per 'illud quod habet albedinem', definitum est concretum includens subiectum et accidens, et tamen illud pro quo supponit ly 'album' non est compositum ex subiecto et albedine, quia tale compositum non habet albedinem, sed solum subiectum albedinis est illud pro quo supponit ly 'album', quia solum illud subiectum est habens albedinem. Similiter, si definiatur risibile per 'hominem aptum natum ridere' aut per 'animal habens risibilitatem', illud quod definitur est compositum ex subiecto et propria passione; illud tamen pro quo tale definitum supponit non est compositum ex homine et risibilitate, quia tale compositum non est homo aptus natus ridere nec animal habens risibilitatem, sed est homo tantum, quia per se homo est illud quod est aptum natum ridere et quod est animal habens risibilitatem.

Sic in proposito, quia genus importat compositum ex natura et generalitate: ipsa intentio generis definitur, non tamen est illud pro quo supponit definitum, quia compositum ex natura et generalitate de nullo praedicatur. Ipsa autem natura sumpta in concreto est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie, ideo solum pro illo

la natura definitum supponit. Et ita habetur quod intentio secunda de finitur, non tamen definitur neque supponit pro intentione secunda, sed definitur et supponit pro intentione prima; quia animal est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, non autem illa intentio, genus, de talibus praedicatur. Quia igitur hic definitur haec intentio, genus, non supponens pro aliqua intentione secunda, quia compositum ex natura et generalitate non praedicatur, sed natura, ideo Porphyrius exemplificat de intentione prima dicens: "ut animal".

§17

Secundo notandum quod sicut a natura coloris absolute sumpta fluit intensibilitas et visibilitas per quam color est intensibilis et visibilis, non ex eo quia color est in albedine vel de albedine, ita a natura animalis secundum se considerata fluit generalitas et praedicabilitas per quam animal est genus et praedicabile, et non ex eo quia animal est in homine et de homine, sicut dicit Albertus.⁶² Consimiliter dicatur de specie quod sicut ab homine fluit risibilitas et disciplinabilitas per quam homo est risibilis et disciplinabilis, non autem ex eo quia homo est in Sorte et de Sorte, ita ab eodem fluit specialitas et praedicabilitas per quam ipse est species et praedicabilis, et non ex eo quia est in Sorte vel de Sorte.

Ex quo habetur quod omnem suppositionem quam habere potest 'coloratum' et 'risibile' potest etiam habere 'genus' et 'species'. Verbi gratia, si dicitur 'coloratum est illud quod habet colorem', ly 'coloratum' supponit personaliter pro subiecto coloris; si autem dicitur 'coloratum definitur' aut 'est disgregativum visus', iam supponit simpliciter pro subiecto et accidente. Ita in proposito si dicitur 'genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie', supponit

ly 'genus' personaliter pro subiecto generalitatis; in his autem propositionibus 'genus definitur', 'genus est intentio secunda', supponit ly 'genus' simpliciter pro composito ex natura et generalitate.

Et si ex his concluderetur quod genus est species, sicut coloratum et risibile, sunt concreta adiectiva et alicuius determinati praedicamenti, negatur consequentia; quia licet conveniant in suppositione et in ratione concreti, non tamen in omnibus aliis. Genus enim et species sunt concreta non ad modum concretorum de praedicamento substantiae, quia non componuntur ex materia et forma, sed ad modum concretorum artificialium de praedicamento qualitatis, cuiusmodi est statua et idolum, quia componuntur ex subiecto et accidente. Illud tamen accidens non est accidens commune sicut albedo, quia fluit a natura generica vel specifica, neque proprium convertibile sicut risibilitas, sed se habet eodem modo sicut inhaerentia, quae a quolibet accidente fluit. Et ideo sicut accidens non est alicuius determinati praedicamenti, quia in pluribus praedicamentis inveniuntur accidentia, ita genus et species in nullo praedicamento determinate ponuntur, quia in omni praedicamento inveniuntur genera et species. Quod enim circuit omne genus in nullo genere est, nisi forte diceretur quod talia sunt in omni praedicamento per reductionem, ratione suorum subiectorum a quibus fluunt; sicut motus dicitur esse in quattuor praedicamentis per reductionem, ratione termini ad quem, ut videtur velle Aristoteles, III Physicorum,⁶³ dicens quod non est motus praeter res ad quas est motus. Sed istud est male sustentabile, quia tunc risibile et disciplinabile essent de praedicamento substantiae ratione hominis, aequale et inaequale essent in praedicamento quantitatis ratione continui vel discreti; iterum simile et dissimile pertinerent ad praedicamentum qualitatis ratione colorum et saporum et aliarum qualitatum. Quia ergo genus est species non sunt in aliquo praedicamento per se, neque per accidens, neque per reductionem, propterea bene dicit Porphyrius

quod philosophi describentes assignaverunt genus esse illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid. Omne enim quod definitur est in aliquo praedicamento, et omnis definitio constat ex genere et differentia, per Aristotelem in VI Topicorum⁶⁴ et VII Metaphysicae;⁶⁵ haec autem intentio, genus, non est in aliquo praedicamento, et consequenter non constituitur ex genere et differentia; ideo oratio assignata non est proprie definitio, sed descriptio notificans quid importatur nomine generis. Large tamen loquendo potest dici definitio, sicut descriptio accidentis, quam Aristoteles, VII Metaphysicae,⁶⁶ vocat definitionem secundum quid solam autem definitionem substantiae dicit esse definitionem simpliciter.

§18

De definitione accidentium

Tertio notandum, ex doctrina Aristotelis, VII Metaphysicae,⁶⁷ quod omne accidens definitur per subiectum suum, sive fuerit accidens proprium sive commune, sive fuerit concretum sive abstractum; accidens enim concretum definitur per subiectum suum loco generis, abstractum vero loco differentiae. Verbi gratia, definitio simi est 'nusus cavus', definitio vero simitatis est 'cavitas nasi'; nusus enim in recto ponitur loco generis et in obliquo loco differentiae. Similiter definitio colorati est 'res habens colorem', ubi subiectum ponitur loco generis; res enim habens colorem est subiectum coloris. Definitio autem coloris est 'extremitas perspicui in corpore terminato', ubi iam subiectum ponitur loco differentiae, scilicet perspicuum et corpus. Quia igitur generalitas est intentio accidentis in abstracto, oportet quod genus sit intentio accidentis in concreto; ergo definitur per subiectum suum loco generis, dicendo 'genus est illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie'. Illud enim quod sic praedicatur indubie est subiectum generis et ponitur loco generis in recto. In abstracto vero

sic definitur 'generalitas est universalitas illius quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid', ubi subiectum eius ponitur in obliquo loco differentiae.

Ex quibus sequitur contra Albertum quod ista intentio, genus, habet aliquid communium, aliter non posset definiri; unde ens et unum, universale et univocum sunt intentiones magis communes quam genus. Non enim communitas consequitur ordinem praedicamentalem sicut dicit, quia sicut prius est natura generica quam specifica, ita prius est communitas generis quam communitas speciei; sed non est ordo praedicamentalis absque communitate generis; igitur ordo praedicamentalis dependet a communitate generis quam sit ordo praedicamentalis. Ens etiam et unum sunt communis, quia de pluribus praedicantur; quorum communitas praecedit omnem ordinem praedicamentalem, eo quod ipsa dividuntur in decem praedicamenta. Sed superioritas et inferioritas sunt illa quae dependent ex ordine praedicamentali, ideo genus licet habeat aliquid se communius, nihil tamen habet superius, eo quod genus et omne eo communius sunt extra omnia praedicamenta. Quia ergo genus circuit omnia praedicamenta et est conceptus confusus, non distincte hoc vel illud significans, propterea per conceptum confusum ipsum describit Porphyrius,⁶⁸ dicens "genus est illud quod praedicatur" etc. Certum est quod illa nomina 'ens' et 'illud' et similia sunt nomina confusa et indeterminata.

§19

De compositione et divisione

Quarto notandum, secundum Philosophum, V Metaphysicae,⁶⁹ quod compositioni et divisioni quae est in re respondet compositio et divisio in anima. Quia enim animal est forma hominis necesse est quod habeat compositionem cum homine; istam compositionem exprimit intellectus per actum componendi verbalem, dicens 'homo est animal'. Et quia homo se

paratur a lapide tam secundum esse quam secundum rationem, istam separationem intellectus exprimit per actum verbalem dividendi, dicens 'homo non est lapis'. Sicut enim homo et animal habent esse reale ~~ex~~ extra animam et esse intentionale in anima, ita habent compositionem realem extra animam et intentionalem in anima; sed actus verbalis componens et dividens extra animam non invenitur in rebus compositis et divisis, sed solum in anima.

Item, in rebus duplex compositio invenitur, scilicet essentialis et accidentalis. Compositio essentialis est quando unum componentium est de essentia alterius, videlicet quando praedicatur superius de suo inferiori aut definitio vel pars definitionis de definito ut 'homo est animal' aut 'rationalis' aut 'animal rationale'. Praedicatio accidentalis est quando unum componentium est accidens alterius, sic quod praedicatur accidens de subiecto, ut 'homo est albus', aut accidens de accidente, ut 'album est musicum', aut subiectum de accidente, ut 'album est animal'. Quia ergo genus et species sunt conceptus accidentales, propterea extra animam habent compositionem cum suis naturis a quibus fluunt, quam compositionem intellectus exprimit cum dicit 'homo est species', 'animal est genus'.

Ex isto infert Albertus⁷⁰ quod nulla istarum consequentiarum valet: "Sortes est homo; et homo est species; ergo Sortes est species", 'homo est animal; et animal est genus; ergo homo est genus', quia quaelibet peccat per fallaciam accidentis. Talis enim communitas ab accidente causatur, quod fundatur in modo superioris ad inferius vel e contra.

Sed supra ostensum est quod communitas generis vel speciei non dependet ab ordine praedicamentali; non etiam peccant illae consequentiae per fallaciam accidentis, ex eo quia species accidit homini et genus animali, quia tunc haec consequentia non valeret 'hoc est album; et hoc est animal; ergo animal est album' propter fallaciam accidentis, ex quo album accidit animali sicut animal accidit albo. Sed constat

quod illud argumentum tenet, quia cum medium fuerit hoc aliquid, neces
se est extrema coniungi, per Aristotelem, I Priorum.⁷¹ Sed ideo argu-
 menta illa non valent quia arguitur ex quattuor terminis propter sup-
 positionis variationem. Semper enim in una praemissarum medium suppo-
 nit personaliter et in alia simpliciter, et subiectum conclusionis sup-
 ponit simpliciter quod in altera praemissarum supponit personaliter.
 Propterea bene sequitur 'Sortes est homo; et homo est species; ergo
 aliquid quod est Sortes est species', 'homo est animal; et animal est
 genus; ergo aliquid quod est homo est genus'.

Ex praedictis sequitur quod sicut in rebus invenitur subiectum et
 praedicatum, definitum et definitio praeter omnem operationem intel-
 lectus, ita etiam et praedicatio, quoniam omnis forma est praedicatum,
 per Aristotelem, I Physicorum;⁷² ideo secluso omni opere intellectus
 animal sicut est forma ita et praedicatum, et consequenter homo est su-
 biectum. Ietrum, animal rationale est definitio, quia componitur ex
 genere et differentia, ideo homo est definitum. Tales ergo intentiones
 secundae, quia dicunt respectum aptitudinalem, non dependet ex opere
 intellectus; quam ob rem remota omni operatione intellectus, homo est
 subiectum et definitum in potentia, animal est praedicatum et pars de-
 finitionis in potentia, et animal rationale est definitio in potentia.
 Et consequenter compositio alicuius istorum cum alio est praedicatio
 in potentia; adveniente autem opere intellectus, omnia ista efficiun-
 tur in actu, quoniam affirmatio et negatio actus verbalis componendi
 et dividendi ab intellectu essentialiter dependent. Quia ergo hoc ver-
 bum 'praedicatur' dicit in rebus aptitudinem et non aptum, sive genus
 habeat tantum unam speciem sive plures, semper verum est quod genus
 praedicatur de pluribus differentibus specie. Et ita intendit Porphy-
 rius. Videlicet, secundum istum intellectum genus est illud quod est
 praedicabile aut quod est aptum natum praedicari de pluribus differen-
 tibus specie.

Dubitatur, probando quod istae intentiones, genus et species, non sunt accidentia in rebus. <Si enim sunt accidentia in rebus> aut ergo propria vel communia. Si propria, ergo omnis homo est species et omne animal est genus; si sunt accidentia communia, ergo aliquis homo est species et aliquod animal est genus. Patet consequentia, quia accidens proprium universaliter praedicatur de suo subiecto, accidens vero commune particulariter praedicatur, ut in Topicis⁷³ et in Posterioribus⁷⁴ liquet.

Respondetur quod accidens dupliciter sumitur, videlicet large pro omni eo quod accidit alteri, et stricte pro eo quod dividitur in novem praedicamenta accidentium. Primo modo dicimus quod homo est accidens, quia accidit animali; accidit enim animali quod sit homo, sicut accidit homini quod sit Sortes. Et isto modo conceditur quod genus et species sunt accidentia, quia accidunt naturis de quibus praedicantur. Et accidens hoc modo sumptum non dividitur in proprium et commune, quia omne tale est in determinato praedicamento. Habet tamen quemdam modum accidentis proprii, in quantum fluit a natura de qua praedicatur, specifica vel generica, et non a natura individuali. Non ergo accidens ut distinguitur contra substantiam dividitur immediate in proprium et commune, sed immediate dividitur in accidens primae intentionis et secundae. accidens primae intentionis dividitur in proprium et commune, sicut dividitur in novem praedicamenta accidentium. Accidens secundae intentionis dividitur, quia quoddam est penitus absolutum ab intellectu, ut genus et speceis, quoddam vero dicit respectum ad intellectum, ut praedicabile et definibile.